

tione; forsitan enim si scivisset alienam rem esse, non legasset. » (32. Si vero persona, cui legata est res aliena, sit ita proxima et conjuncta testatori, ut merito præsumatur eam rem adhuc ei legaturam esse quamvis scivisset esse alienam, valet legatum etiam de tali re aliena, non obstante quod testator putaverit esse suam, textu expresso in l. Cum rem alienam 10, Cod. de legatis; ibi: « Quod si suam esse putavit, non aliter valet relictum, nisi proximæ personæ, vel uxori, vel alii tali personæ datum sit, cui legaturus esset, si scivisset rem alienam esse. » Unde si testator in supradictis modis rem alienam cuidam legavit, tenetur hæres illam a domino justo pretio emere; vel si dominus eam vendere nolit, aut de ea pretium excessivum præterdat, tantum legatario dare quantum res illa æstimatur, textu expresso in cit. § Non solum, ibi: « Ita ut hæres cogatur redimere: vel si eam non potest redimere: æstimationem ejus dare, » et l. Non dubium 14, ff. De legat. 3, ibi: « Si redimere non possit, quod dominus non vendat, vel immodico pretio vendat, justam æstimationem inferat. »

(33. Nedum de jure civili, sed etiam de jure canonico probabilis valet legatum rei alienæ, ut colligitur clare ex cap. Si Episcopus 5, caus. 12, quæst. 5, desumpto ex concilio Agathensi, ubi legatum rei alienæ, etiam ad jus, seu proprietatem ecclesiæ spectantis, valere aperte statuitur, si æstimatione ejus domino solvatur, vel alia res ejusdem valoris ei detur ibi: « Si episcopus, condito testamento, aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, non valet, nisi tantumdem de proprii juris facultate suppleverit. » Et sic tenent Covarruv. in cap. Filius 5, De testamentis, num. 6; Fachin. lib. v Controv., c. 38; Piringh, lib. III Decret., tit. 26, n. 84; Reiffenst., ibidem, n. 673, ubi dicit esse communem contra Panormitanum, et alios. Et ratio est quia differentia inter jus civile et canonicum non est inducenda sine necessitate, sicuti sine necessitate a jure canonico non est corrigendum jus civile; arg. cap. Cum expediat 29, de election., in 6, ibi: « Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari. » Jus autem civile generaliter disponens quod testator possit legare rem alienam, ita ut sciens rem quam legat, esse alienam, velit ut hæres rem illam a domino emat, vel si is vendere nolit, æstimationem illius legatario solvat, injustum censi non potest ut corrigi debeat a jure canonico, quia domino rei nulla injuria fit; cum is invitus rem suam vendere non cogatur, ut patet ex cit. § Non solum 4 Instit. de Legat., et l. Non dubium 14, ff. De legat. 3, per verba adducta supra n. 92, in fine. Sic Covarr. loc. cit., Piringh loc. cit., et alii passim. Tum quia si tale jus civile tanquam injustum fuisset correctum a jure canonico in capit. Filius 5, De testamentis, ut præterdunt adversarii, ipsum non amplius attenderet, nec sequeretur sacra Rota Romana, quæ

tamen sæpe sæpius ipsum secuta est in suis sententiis, et signanter par. I, recent. dec. 453, n. 1, et sequent. in Romana de Marescottis, et par. IX, tom. II, decis. 403, n. 52, in eadem Romana de Marescottis, ubi semper sententiam protulit, quod legatum rei alienæ cogit hæredem ad præstandam legatario æstimationem rei legatæ, quam sententiam utique non protulisset, si jus civile, cui innixa est, foret injustum, et esset correctum a jure canonico, quod præ jure civili servandum est in terris Papæ subiectis, etiam pro testamentis et legatis profanis, cap. Quoniam 8, dist. 10, cap. Cum ad rerum 6, dist. 96, et concordat cap. Solita 6, De majoriti. et obedient., cap. Novit. 13, § 1, De Judiciis, et cap. Per venerabilem 13, § Rationibus, Qui filii sint legitimi; et fuit dictum verb. Jus, n. 27.

(34. Quantum vero ad legatum rei alienæ ad pias causas, certum est utroque jure valere: Menochius lib. IV De præsumpt. 116; Barbosa in Collectan. in citato c. Filius 5, De testamentis n. 2; Piringh l. c. n. 86, in fine; Tiraquell. De privilegiis piæ causæ, privileg. 66, et alii passim.

(35. Si legatum sit pure factum de re aliqua singulari et determinata, ut de hoc palatio, de hoc prædio, et hujusmodi, ejus dominium verum acquiritur a legatario statim post aditam ab hærede hæreditatem, l. Si tibi homo 86, § 2, ff. De legat. 1, l. Si Nemo 181, ff. De reg. Jur. et communis doctorum. (36. Ejus tamen dominium fictum acquiritur a legatario statim a die mortis testatoris, l. Si post diem 5, § 1 ff. Quando dies Legat. ced. et doctores passim. Ratio autem differentie de acquisitione domini veri et domini ficti est, quia cum solus hæres præstare debeat legatum, non potest ipsum præstare nisi post aditam hæreditatem, adeoque dominium verum ipsius nequit ante acquiri a legatario, cum pro tunc nemo sit a quo legatum petatur; secus autem est de dominio ficto, quia quando post aditam ab hærede hæreditatem, legatarius acceptat legatum, fictione juris retrahitur dominium ad diem mortis, eo quod dies legati statim a die testatoris cedat, cit. leg. Si post diem 5, § ff. Quando dies Legat. ced. ibi: « Itaque si pure legatum est ex die mortis, dies ejus cedit, id est debetur, » l. Cedere 213, ff. De verbor. significat., ibi: « Cedere diem significat debere pecuniam, venire diem significat, eam diem venisse, quo peti potest pecunia. »

(37. Hinc fructus rei legatæ debentur legatario a die mortis testatoris, arg. l. Titia, ff. De Furtis, et ibi Glossa final., et l. Cum servus 86, § 2, ff. De legat. 1. Et ratio est quia fructus sequuntur dominium rei, cujus sunt fructus per vulgaria juris; legatarius autem ex dictis statim ac hæres adiit hæreditatem, acquirit dominium verum legati, et tale dominium post acceptionem fictione juris retrahitur ad diem mortis testatoris, adeoque a tali die debentur ipsi legatario fructus rei legatæ. Sic Gomez Variar. resol. ut., tom. I.

cap. 12, n. 5 et 22; Molina disp. 194, n. 1; Vasq. cap. 8, De Testamentis, § 1, n. 5, et § 4, n. 74; Bartol. et alii, quos sequitur Molina loc. cit. et Lugo De justit. et jure, t. II, disput. 24, n. 233, et alii contra Sanchez, Gothofred. et plurimos alios.

(38. Incrementum totum, quod res legata habuit a die testamenti conditi pertinet ad legatarium, sicuti et etiam fructus ipsi, quando per modum incrementi unum quid faciunt cum re legata, ut si, legato grege, auctus is sit foetibus natis, qui gregem etiam componunt textu expresso in l. 20, ff. De legat. 1, ibi: « Grege legato, et quæ postea accedunt ad legatarium pertinent; et § 10, Institut. de legat. ibi: Grege autem legato, etiam eas oves quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedere Julianus ait. » Idem pariter dicendum est de fructibus fundi, seu agri legati pendentibus, authententibus ante mortem testatoris. Communis, arg. citatis juribus.

(39. Legatarius, quamvis ex dictis acquirat dominium fictum rei legatæ singularis, et determinatæ statim a die mortis testatoris, et dominium verum statim post aditam ab hærede hæreditatem, non potest tamen propria auctoritate illud sibi usurpare, et accipere, nisi accedat talis dispositio testatoris, aut licentia hæredis; aliter amittit totum id quod propria auctoritate accipit, seu usurpat, textu claro in l. Non est dubium 5, Cod. de Legat. ibi: « Non est dubium denegari actionem legatorum ei proportionem competentem in his quas subtraxisse eum de hæreditate apparuerit. » Et sic communis doctorum. (40. Talis autem amissio legati cum sit poena, non incurritur ante sententiam, nec etiam quando sine culpa ulla legatarius rem acceperat; et si occulte illam rem accepisset, licet male fecisset, non teneretur tamen in conscientia ad eam restituendam: ut recte ex aliis advertit card. de Lugo l. c., n. 240.

(41. Legata debent in foro conscientie hæredes, et executores exsequi, quam primum poterunt. Communis, arg. cap. Si hæredes 6, De Testamentis, et l. Cum res 17, ff. De legat. 1, ubi expresse præcipitur ut legata sine mora præstentur; unde Layman, Silvester, et alii docent mortaliter peccare executores, si ex negligentia diu differant exsequi ultimam voluntatem testatorum. (42. Quamvis enim hæredibus et executoribus concedatur semestre ad implenda legata pia, Novell. 131, cap. 11, vers. Si autem Legatum, et annus ad implenda Legata profana, cap. Nos quidem 3, De testament. et l. Null. Cod. de episcop. et cleric., tamen conveniunt omnes, teste cardinali de Lugo loc. cit., num. 296, illum terminum non ita assignari, ut auferatur obligatio conscientie implendi legata quam primum poterunt, sed solum in ordine ad incurrendas poenas, si, illo elapso, hæredes et executores exsequi negligunt defuncti voluntatem, ut recte advertit Reiffenstuel. lib. III Decret., tit. 26, n. 786.

(43. Hinc si, cessante legitimo impedimen-

to, hæredes seu executores semel moniti a iudice, sive ecclesiastico, sive laico, voluntatem defuncti intra annum non adimpleant, perdunt omne id quod eisdem alias ex testamento competit, sive hæreditas, sive legatum sit, excepta legitima in hærede necessario; textu expresso in authentic. Nos amplius, Cod. de Fideicommiss. et Novell. 1, cap. 1, § 1, juncto cap. Nos quidem 3, et cap. Si hæredes 6, De testament., ubi etiam additur ratio, nempe ut hac ratione vota defuncti adimpleantur. Et ratio alia datur in leg. Si patroni 53, § Sed nec illud, ff. ad S. C. Trebell. ibi: « Cur enim non videatur indignus, ut qui destruit suprema defuncti preces, consequatur quid ex voluntate? » (44. Si autem hæredes aut executores bis moniti ab episcopo legata ad pias causas legitimo cessante impedimento exsequi neglexerint, etiam ante annum privantur commodis ex testamento eisdem alias competentibus, textu expresso in Novell. 131, c. 11, vers. Si autem qui hoc jussi. (45. Et si hæredes seu executores intra sex menses, cessante legitimo impedimento, legata pia etiam sine admonitione exsequi negligant, debent postea in poenam illa restituere cum omnibus fructibus et emolumentis, quæ a tempore mortis testatoris interea percipi potuissent, textu expresso in cit. Nov. 131, c. 51, vers. Si autem legatum. Et sic communis doctorum.

(46. Legata pro anima relicta tenentur hæredes sub mortali solvere, non solum per decem annos, sed per totum tempus a testatore præscriptum; Nobis enim prorsus occultum est, et solum autem divino iudicio reservatum tempus, quo animæ in Purgatorio detinentur, unde non possumus absque gravi temeritate illud præfigere. Hinc Alex. VIII, die 18 Martii 1663, merito damnavit inter alias sequentem propositionem 43 in ordine, ibi: « Annum legatum pro anima relictum non durat plusquam decem annos. » (47. Legatum pium pauperibus in genere distribuendum debetur præ cæteris pauperibus patriæ testatoris, in qua habebat domicilium l. Quæ conditio, § Cum ita, ff. De condit. et demonstrat. l. Si quis ad declarandum, § Ubi autem, Cod. de episc. et cler.; Glossa in cap. Si pater 1, De testament. in 6, verb. Pauperes; Menochius lib. IV, præsumpt. 125, num. 6; Tiraquell. De privileg. piæ causæ, privileg. 56; Reiffenst. lib. III Decret., tit. 26, num. 812; Ancharan. consil. 214, num. 12; Monacell. tom. I, tit. 10, serm. 19, num. 13, et alii passim. Et ratio est quia, nisi aliunde contrarium constet, merito præsumendum est testatorem voluisse quod succurratur magis his, quam exteris; arg. l. Præses, Cod. de servit. et aqua.

(48. Inter pauperes patriæ testatoris magis, et prius succurrendum est plus indigentibus, quam minus egentibus. S. Thomas 2-2, q. 32, art. 3, ad primum; Menochius l. c., n. 10, et alii passim; talis enim merito est præsumenda rationabilis testatoris voluntas. (49. Si autem adsint pauperes con-

sanguinei seu conjuncti testatoris æqualiter, ac alii indigentes, isti juxta ordinem charitatis præferri debent, capit. *Non satis* 14, dist. 86; Rota dec. 89, num. 4, et decis. 171, cor. Durano, et dec. 14, num. 21, coram Arguell.; S. Thomas 2-2, q. 32, art. 9; Castropal. Oper. moral. tractat. 6, De charitat., disp. 1, punct. 10, num. 1, et seq.; Mantica De conjectur. ult. volunt., lib. viii, tit. 13, num. 16 et 17, et alii communiter. Et ratio est quia merito præsumitur, quod testator voluerit legata sua distribui secundum charitatem ordinatam; charitas autem ordinata consanguineos et propinquos præ exteris respicit, arg. l. Præses, Cod. de servit. et aqua et l. ad Timot. 5. Cum hoc tamen ordine, quod inter ipsos propinquos seu conjunctos potius succurratur magis, quam minus propinquo seu conjuncto, et prius magis, quam minus egeno, ut optime suo more advertit S. Th. 2-2, q. 32, art. 9.

(50. Cæteris autem paribus præferendi sunt illi pauperes, qui sunt meliores, et præsertim illi qui bono communi sunt utiliores; quinimo S. Thomas 2-2, q. 32, art. 9, in corpore, vult istos præferendos esse etiam ipsi propinquis et conjunctis testatoris. Unde Menochius loc. cit., num. 12; Reiffenstuel loc. cit. num. 815, et alii inferunt pauperes religiosos præferendos esse aliis pauperibus, dummodo tamen nullos penitus redditus habeant, et vivant ex mera et incerta Fidelium eleemosyna, ut Fratres Capucini, et Minores de corpore observantia.

(51. Insuper cæteris paribus similibus legatis sunt succurrendæ pauperes feminae præ pauperibus masculis, et præcipue pauperes moniales, quia paupertas est periculosior feminis quam masculis. Menochius l. c., n. 7 et seq.; Baldus in l. Multis in fin., ff. de Statu hominum, et alii passim.

(52. Legatum relictum distribuendum pauperibus in plurali non potest totum dari uni soli, sed debet proportionaliter distribui in plures; talis enim merito præsumitur voluntas testatoris in plurali loquentis. Baldus in l. 1, num. 29. Cod. de SS. Eccles.; Jason in l. Gallus, § Quod si 15, n. 12, ff. De liber. et posthum.; Felinus in cap. *Omnes leges* 1, dist. 1; Barbosa De offic. et potest. episcop., par. iii, alleg. 83, num. 19, cum plurimis ibi citatis. (53. Nec de tali legato potest plus dari uni soli, quam necessarium habeat. S. Th. 2-2, q. 32, art. 10; Menoch. loc. cit., num. 26, et communis aliorum.

(54. Legatum relictum pro pauperibus concurrentibus ad portas testatoris non potest distribui pauperibus infirmis in hospitali. Hoc enim esset contra expressam mentem testatoris. Genuens. in Pract. Eccles. quæst. 214, per totum; Barbosa loc. cit., n. 10, et alii passim. (55. Legatum distribuendum in usum pauperum applicari non potest presbytero pro missis celebrandis. Sic tenet Fagn. in cap. *Recolentes* 5, De statu monachor., num. 46, ubi refert ita decisum fuisse in Capella Tolosana, ut in dec. 26, per cap. *Nos quidem*, De Testam. per Clement. *Quia contingit*, De religiosis

domib. per § Si quis ædificationem in authent. de Eccles. tit., collat. 9, per l. Si quis ad declinandam § penult. Cod. de episc. et clericis.

(56. Legatum distribuendum in causas pias in genere, nulla specificata in particulari, potest applicari ab exsecutore religioso suo monasterio, et a clerico suæ ecclesiæ, Sanc. lib. ii Moral., cap. 11, n. 59; Silvest. verb. *Testamentum* 2, q. 2, vers. *Quintum*; F. Emmanuel qq. Regul. tom. III, q. 70, artic. 4; Layman lib. v, tr. 6, cap. 11, n. 6; Ancharan. cons. 84, num. 9 et 10; Barbosa loc. cit., num. 25; Pirhing lib. iii Decretal., tit. 26, num. 109; Reiffenst. ibid., n. 800; Francisc. Carp. De exsecutor. testament., lib. i, cap. 5, num. 41; Mantica De conjecturis, lib. viii, tit. 5, n. 7, in addit., et alii; In tali enim casu jam adimpletur voluntas defuncti, cum tam ecclesia, quam monasterium revera veniant nomine causæ piæ.

(57. Si autem legatum sit relictum distribuendum in pauperes, non potest a religioso exsecutore applicari suo monasterio, nisi sit tale quod nullos penitus redditus habeat, et vivat ex mera et incerta fidelium eleemosyna; ex dictis supra n. 50; aliter non adimpleretur voluntas, et dispositio testatoris, quæ tamen est in omnibus integre adimplenda, et pro lege habenda, l. *Verbis* 129, ff. De verbor. signific. et Novell. 2, cap. 2, ibi: « Disponat unusquisque super suis, ut dignum est, et sit lex ejus voluntas; » et cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, q. 3, ibi: « Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet. »

(58. Legatum relictum distribuendum in pauperes generice potest a quocunque exsecutore applicari primo et principaliter in suos junctos, dummodo sine fraude sint vere pauperes; tunc enim vere adimpletur voluntas et dispositio testatoris, et aliunde pauperes consanguinei semper sunt præferendi in legato generaliter pauperibus relicto. Barbosa loc. cit., n. 21; Menoch. De præsumpt., lib. iii, q. 54, n. 3; Surd. De aliment., tit. 1, quæst. 93, n. 5; Gironda De privilegiorum et exemptionum explicat., n. 150; Veziou. tom. I, commun. opinion. lib. vi, tit. 21, n. 31, et alii citati sub n. 59.

(59. Imo legatum relictum distribuendum generice in pauperes, vel causas pias, potest ab exsecutore applicari partim sibi ipsi, si revera sit pauper, et ejus paupertatem testator ignoraverit; tunc enim etiam adimpletur vere et realiter voluntas et dispositio testatoris, cum exsecutor, ut supponitur, sit vere pauper sine ulla fictione et fraude, et aliunde ipse exsecutor non debeat esse deterioris conditionis quam alii pauperes; Tum quia cum ipse exsecutor debeat legatum distribuere pauperibus, potest incipere a seipso vere paupere, cum charitas ordinata incipiat a seipso, arg. l. Præses, Cod. de servit. et aqua, et cap. *Non æstimemus* 19, caus. 13, q. 2, ibi: « Nemo unquam carnem suam odio habuit. » Et sic tenet S. Thomas 2-2, quæst. 32, art. 9, ad 3; Menochius lib. iv Præsumpt. 126, n. 17; Gonzalez

ad regu. 8; Cancellar. gloss. 2, n. 55; Surd. De aliment. tit. 1, quæst. 49, n. 4; Card. Pereira De potest. eligendi, c. 13, num. 9; Layman loc. cit.; Pirhing loc. cit., n. 109; Reiffenst. loc. cit., n. 802; Barbosa dicta allegat. 83, n. 22, cum plurimis aliis ibi citatis, arg. l. 1, § ult. in fine, ff. De collat. bonor. et authent. de Sanctissimis Episc. § Presbyteris autem collat. 9. (60. Nec facit quod adducunt quidam adversarii, nempe quod non possit exsecutor sibi partem talis legati applicare, quia inter dantem et accipientem debet esse distinctio; arg. cap. *Per nostras* 25, De jurepatronat., ubi præpterea non conceditur quod patronus possit præsentare seipsum. Non facit, inquam, quia in hoc casu videtur adhuc adesse sufficiens distinctio inter dantem et accipientem, cum non exsecutor, sed testator, revera dicatur dare eleemosynam, et ipse exsecutor sit tantum minister; sicuti si in vivis quis per servum elargiatur eleemosynam, non servus, sed dominus revera dicitur dare eleemosynam; et in tantum in cit. cap. *Per nostras* prohibetur, quod patronus præsentet seipsum, quia hoc saperet vitium ambitionis, ut patet ex textu, quod tamen non procedit in casu nostro, maxime cum talis exsecutor supponatur vere pauper, omni fraude, seu fictione cessante.

(61. Limitanda tamen est supradicta conclusio in casu, quo si testator, cognita paupertate illius exsecutoris, illi aliquid speciale legaverit, quia tunc non posset aliquam aliam partem ex distribuendis accipere, cum, dando illi aliquid seorsim, videatur testator illum exclusisse a distributione ab ipso faciendâ, ut ex communi docet card. de Lugo tom. II, De justitia et Jure disp. 24, n. 282. (62. Et idem est dicendum in casu, quo testator alicui pauperi legaverit v. gr. 100, et alia 1000, mandaverit distribui pauperibus: tunc enim ille primus pauper exclusus videtur ab hac distributione. Sic communis Doctorum cum Sanchez lib. iv Concil., cap. 1, dub. 57.

(63. Legatum relictum dandum pauperibus nullatenus est dandum malis et otiosis pauperibus, nolentibus, cum possint, laborare, quia id esset eorum spirituale ruinam et vitia alere, cum ex quotidiano otio ad maxima vitia, non sine magno proprio, et alieno, etiam Reipublicæ detrimento prolabantur: Ut enim dicitur Ecclesiastici xxxiii: *Multam malitiam docuit otiositas*, et ut scripsit Seneca epist. 89: « Otium est sentina omnium malorum, noverca virtutum, et cujusvis hominis sepultura. » Unde merito S. Augustinus, epist. 84, scripsit ad Vincentium Donatistam: « Melius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligit, quam esurienti panis frangitur, si injustitia seductus acquiescat. » Et similibus pauperibus otiosis, qui ex acceptis eleemosynis nutriunt vitia, videtur eleemosynam fieri expresse prohibere divinum Verbum, Ecclesiastici xii, n. 5, ibi: *Da bono, et non receperis peccatorem, benefac humili, et non dederis impio; prohibe panes illi dare. Et*

sic tenet communis doctorum.

(64. Legatum relictum puellis honestis, et civilibus debetur filia mercatoris et artificis; sic expresse decrevit sacra congreg. Conc. in Romana subsidii dotalis 26 Martii 1692. (65. Legatum relictum virgini ad effectum nubendi debetur etiam efficiatur monialis, quia matrimonium spirituale cum carnali pari, imo digniori passu ambulat. S. congr. Episcop. et Regul. in Pisaurensi 26 Augusti 1616. Si tamen sit factum cum conditione, ut solvatur in manibus mariti pro dote; nec aliis, nec pro alia causa: vel quod decedente sine filiis, legatum redeat ad hæredes legantis, tunc non poterit dari pro virgine monachanda, ut respondit Sac. congreg. Conc. in una Baren. 15 Sept. 1668.

(66. Legatum autem relictum pro monachandis non potest applicari pro maritandis, quia favorabilior et dignior est status cælibatus, et religionis, quam conjugii carnalis. Et sic decrevit sacra congregat. Visitationis particulariter deputata quinque cardinalium ab Innocentio XII, super reformatione distributionum subsidiorum dotalium sanctissimæ Annuntiationis de Urbe, visitatore eminentiss. card. Petruccio, 16 Jan. 1669, et Sac. Cong. Conc. in Romana Subsidiorum Dotalium 30 Maii 1699.

(67. Legatum relictum simpliciter pro puellis monachandis debetur etiam illis quæ monachantur extra patriam testatoris. Sic casu occurrente in una Amerina, et partibus informantibus respondit sacra congreg. Episcop. et Regular. die 15 Maii 1699, apud Monacell. part. i, tit. 10, formul. 19, n. 11 et 12. (68. Legatum relictum uxori, quando viduitatem servaverit, debetur ei si ingrediatur religionem. Vidal. De legat. inquisit. 2, n. 33; Felix Potest., tom. I, n. 2564; Monacell. part. ii, tit. 14, form. 1, n. 13, et alii passim.

(69. Legatum relictum juvenibus dantibus operam studiis legalibus debetur etiam clerico seu laico danti operam sacris canonibus, quia studium sacrorum canonum dicitur studium legale, cum sit medulla legum, et praxis juris civilis. Menochius De abitr. Jud., cap. 425, n. 28 et sequent., et sic declaravit sac. congregat. Conc. in Romana, seu Nicoteren. Legati 14 Februarii, et 30 Maii 1699. (70. Legatum alimentorum præstandum juxta præceptum testatoris in domo tantum, si legatarius fiat religiosus, debetur legatum monasterio. Vivian. De jure patronat., lib. vi, cap. 1, n. 68; Monacell. l. c., n. 20, et alii.

(71. Legatum relictum pro dotandis puellis potest dari etiam virgini illi quæ habet dotem, sed non sufficientem, ut commode maritali possit. Vidal. loc. cit., n. 29; Felix Potestas, loc. cit., n. 2537; Monacell. loc. cit., n. 10, qui insuper dicit posse dari et distribui pro augenda dote, etiam jam maritalis.

(72. Legatum relictum pro dotandis pauperibus potest dari etiam pauperi nuptæ absque dote; reperitur enim ibi idem motivum testatoris: Mendo verb. *Legatum*, n. 20; Felix Potestas, loc. cit., n. 2561, et alii.

(73. Legatum relictum virginibus acceptari et retineri potest a puella occulte corrupta, si in foro externo habeatur pro virgine; nomine enim virginis venit publice, et in foro externo puella reputata virgo. Vidal. loc. cit., n. 28; Felix Potestas, l. cit., n. 2562; Diana in compendio, verb. *Legatum*, n. 21; La Croix lib. III, par. II, n. 604, et lib. IV, n. 40, cum aliis ibi citatis.

(74. Legatum relictum orphanis non debetur illis qui carent patre tantum, quando concurrunt orbatu utroque parente, isti enim sunt preferendi; debetur tamen illis, quando isti non concurrant. Gratian. discept. 666, n. 3; Velasco De privileg. pauper., tom. I, quæst. 4, n. 9; Diana par. II, tract. 2, resolut. 52, vers. *Quarto Legatum*, et part. IV, resol. 163; Monacell. p. II, tit. 13, form. 7, n. 3; Amostaz. De causis piis, tom. I, lib. IV, cap. 6, n. 43, cum variis aliis ibi citatis.

(75. Tale legatum potest dari etiam puellis habentibus patres inutiles, quando non concurrunt proprie orphanæ parentibus orbata; secus vero si istæ concurrant; L. Orphanotrophos. Cod. de Episcop. et Cleric. ubi doctores; Menoch. De arbitr., casu 66, in addition., n. 7; Castillo, lib. I Controv., cap. 25, n. 17; Amostaz. loc. cit., n. 46, cum aliis ibi citatis. (76. Item legatum relictum pauperibus viduis potest distribui habentibus viros inutiles, quoties non concurrunt veræ viduæ; sic supracitati doctores, et alii passim; arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., ubi ecclesia viduata censetur, si habeat prelatum inutilem, et l. I. Quod si nemo, ff. quod cujusque universit. ubi universitas censetur non habere syndicum, si illum habeat inutilem.

(77. Legatum relictum pro originariis alicujus oppidi debetur solum illis quæ natæ sunt ibi non casu, sed quando pater domicilium ibi habuerit, aut si locus, ubi pater natus fuerit, aut de jure communi, ubi avus natus fuerit, et neptæ natæ in ejus potestate; non enim sufficit esse peregrinum, aut casu ibidem inveniri, ex l. Filios 3, cod. De municip., et originariis, lib. X, qui textus ad originem supponit domicilium esse necessarium; quapropter si casu alibi filius nascatur, ibidem non contrahit, sed sequitur domicilium patris, ubi ipsum habet. Quamvis enim aliqua jura dicant originem contrahi, ubi quis natus est, non expresse loquuntur ex sola natalitate; ideoque intelligenda sunt, quando quis natus fuerit in domicilio patris, non vero alibi casu, aut quando peregrinus fuerit. Carleval. De Judiciis, lib. I, tit. 1., disput. 2, quæst. 2, n. 93; Cevallos commun. qu. 458, n. 17; Sanch. de Matrimon. lib. III, disput. 23, n. 3; Trullench. lib. VII Decalog., cap. 18, dub. 7, n. 3; Marchin. De ordin., part. I, lib. V, c. 6, n. 8; Amostaz. l. c., n. 7 et 11; Barbosa De offic. et potest. Episcop., p. 2, allegat. 4, n. 7, ubi citat Rotam Romanam dec. 327, n. 3, par. II, divers., et doctores in cap. *Rodolphus* 35, De rescriptis.

(78. Legatum alicui sub conditione, « quod nunquam nubat, et semper maneat in statu cœlibatus, » debetur ipsi etiamsi nubat; quia talis conditio habetur pro non adjecta, cum sit contra favorem matrimonii et reipublicæ bonum ex procreatione proliis proveniens. Sic communissima Doctorum, textu expresso in l. Quoties, leg. Cum tale § Mœvia, ff. De condit. et demonstr. cum similibus.

(79. Legatum relictum alicui sub conditione, « quod tali non nubat, » si a matrimonio cum tali non abstinuerit, non debetur ei, quia per talem conditionem non prohibetur absolute matrimonium, cum possit cuilibet alii satis commode nubere. Communis, et certa, textu expresso in l. Cum ita 63, ff. De condition. et demonstrat. (80. Legatum relictum alicui sub conditione quod nubat tali, adhuc ei debetur, quamvis ipsi non nubat, si per ipsum non stet, quod ipsi non nubat, vel ex quo talis persona designata nolit ipsi nubere, aut sit inhonesta, aut ipsius nuptiis indigna, aut cum ea contrahi non possit; in tali enim casu similis conditio habebitur pro non adjecta, textu expresso in leg. Cum ita legatum 63, § 1, ff. De conditione et demonstratione.

(81. Legatum relictum alicui sub conditione: « Si nupserit, vel liberos procreaverit, » est ei dandum, quamvis religionem ingrediatur: Communis; arg. authent. *Nisi rogati*, Cod. ad S. C. Trebellian., et Novell. 123, cap. *Si quis sub conditione* 37, ubi sic expresse statuitur: « Sancimus si personæ talibus conditionibus subjectæ, sive masculis, sive feminæ monasteria ingrediantur, aut clerici fiant, tales conditiones invalidas, et pro non scriptis esse. » Si enim testatori in mentem venisset de religione cogitare, merito præsumitur nihilominus legatarum ipsi fuisse, adeoque censendus est noluisse excipere a conditione casum quo legatarius religionem ingrediatur.

(82. Item tale legatum est dandum legatario, quamvis non ingrediatur religionem, sed manens in sæculo sacros ordines suscipiat, Communis; arg. cit. Novell. 123, cap. 37, ubi in allegato textu loquitur divisive: « Si monasteria ingrediantur, aut clerici fiant, » adeoque aperte insinuat alterutrum sufficere, cum dictio divisiva *Vel* in quovis divisivis membris verificetur; arg. l. Deo nobis 56. Cod. de episcop. et cleric. (83. Dummodo tamen talis clericus usque ad mortem perseveret in clericatu, et tale legatum ad causas pias expendat, et relinquat, ut tenent communiter doctores per textum expressum in cit. Novell. 123, cap. 37, ibi: « Hoc autem solatio clerici ecclesiarum fruantur, si usque ad suam vitam in his perseveraverint, ut res sub tali conditione donatas, aut relictas ad pia opera expendant, et relinquunt; » et jure merito id statuit de clericis in sæculo remanentibus, cum consimiliter ibidem statuerit de ingredientibus religionem, ibi: « In personis enim quæ in monasterium ingrediantur, monasterio res sub tali condi-

tionem donatas, aut relictas cum alia eorum substantia competere volumus. »

(84. Limitanda tamen est conclusio posita sub n. 81 et 82, in casu, quo de testatoris contraria voluntate aperte constat, ut si dicat, quod valide et licite potest: « Lego Titio decem mille aureos, si nupserit, vel liberos procreaverit; at si religionem ingrediatur, aut clericus fiat, lego solum mille aureos, et alii volo, quod tali casu dentur, Sempronio. » Tunc enim Titius ingrediendo religionem, aut assumendo clericatum amittit tale legatum novem mille aureorum; quia præsumptio cessat, ubi versamur in claris, ut habet Barbosa in Axiomat. Jur., verb. *Præsumptio*, n. final. Et sic tenent Covarr. lib. I Variar. resol., c. 29, a n. 7, usque ad n. 11, cum pluribus aliis ibi citatis; Molina disp. 207, n. 14, et 15; Layman lib. III, tr. 3, c. 10, n. 12; Sanchez lib. VII Moral., cap. 16, n. 12. Pirhing lib. III Decret., tit. 26, n. 76; Reiffenst. ibid., n. 652, et alii passim.

(85. Nec valet objicere quod talis conditio sit turpis et illicita, cum retrahat a statu perfectiori, qualis est status religionis, et clericatus respectu status laicalis. Non valet, inquam, quia, quamvis talis conditio esset turpis et illicita, si apponeretur ex odio religionis, aut clericatus, vel absque honesta et justa causa, ex solo fine, ut legatarius a religione, aut clericatu retraheretur; non est tamen turpis, et illicita, si apponatur, ut supponitur, et de facili fieri potest, ob honestum et justum finem, v. gr. ad nobiliorem et splendidiorem conservationem familiæ, seu stemmatis, vel quia nubentis, et liberos procreanti pro liberorum educatione et familiæ sustentatione majora bona temporalia esse necessaria, quam religioso, aut clerico, ipse testator censuit, atque cognovit, et hujusmodi, ut recte advertunt Covarr. l. c., n. 14; Laym. l. c., n. 12; Reiffenst. l. c., n. 953, aliique passim.

(86. Legatum relictum alicui sub conditione « Si religionem ingrediatur vel clericus fiat, » non est ei dandum, si non ingrediatur religionem, aut non fiat clericus. Communis; arg. cap. *Cum sit proprium* 2, de condition. apposit., et l. Titi, § 1, ff. De condit. et demonstrat. Licet enim sub spe lucri temporalis aliquem ad religionem, vel clericatum attrahere; arg. cit. cap. *Cum sit proprium*. (87. Nec valet objicere quod si euti ex dictis n. 81 et 82, conditio, quod nunquam nubat, et semper maneat in statu cœlibatus habeatur pro non adjecta, et legatum debetur etiamsi legatarius nubat, et non maneat in statu cœlibatus; ita debet haberi pro non adjecta conditio: « Si religionem ingrediatur, vel clericus fiat, » et legatum debetur etiamsi legatarius non ingrediatur religionem, nec clericus fiat: cum conditio, « Si religionem ingrediatur, vel clericus fiat, » tacite involvat dictam conditionem, « quod nunquam nubat, et semper maneat in statu cœlibatus. » Non valet, inquam, ultra quam quod non currit paritas de utraque conditione, cum celebs laicus non propaget rempubli-

cam sæcularem, nec religiosam, nec clericalem; et celebs religiosus, aut clericus saltem propaget rempublicam religiosam, vel clericalem, in majus Dei obsequium, non est ullimode præsumendum, quod jura per annulationem conditionis non nubendi, annullare etiam voluerint conditionem ingrediendi religionem, vel assumendi clericatum; cum tali statui religioso, seu clericali, ita in omnibus faveant, ut quantum ad præsens attinet, legatum relictum alicui sub conditione, « Si nupserit, vel liberos procreaverit, » statuatur esse nihilominus ei dandum, quamvis religionem ingrediatur, vel clericus fiat, ex dictis n. 81 et 82, arg. authentic. *Nisi rogati*, Cod. ad S. C. Trebellian. et Novell. 123, c. *Si quis sub conditione* 37.

(88. Legatum relictum regulari in particulari sub conditione, quod quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eum independentem a licentia superioris, non debetur ipsi religioso, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. Baldus in cap. *Clerici* in fine de judiciis; Jason, in authent. *Ingressi*, n. 37 et 38, Cod. de SS. Ecclesiis; Sanchez, lib. VII Moral., cap. 17, n. 4; Fagnan. in cap. *Joannes Clericus* 19, De testam., n. 20 et seq. et in c. *Monachi* 2, De statu monachor., a n. 47, et alii passim arg. cap. *Non dicatis* 12, q. 1, cap. *Abbatibus* 18, q. 3, cap. *Quia ingredientibus* 19, quæst. ult. cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachorum, concil. Trident., sess. 25, cap. 2, De regularibus, et decr. Clem. VIII, pro reformatione regular. incip. *Nullus omnino*. Et ratio est quia talis conditio est turpis, utpote repugnans paupertati promissæ: turpis autem conditio habetur pro non adjecta, textu expresso in § *Impossibilis*, instit. De hæredum instit. et l. *Conditiones* 14, ff. de condit. instit. (89. Imo legatum factum regulari, nec momento temporis potest esse apud eum, sed illico acquiritur monasterio; arg. c. *Statutum* 1, caus. 18, q. 1, c. *Abbatibus* 16, caus. 18, q. 2, cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3, cap. *In præsentia* 8, De probat., cum similibus; cap. *Cum ad Monasterium* 6, De statu monachor., ibi: « Totum incontinenti resignet. » Concil. Trident. cit. sess. 25, *De regularibus*, cap. 2, ibi: « Statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. » Et sic tenet Abbas in cap. *Monachi* 2, De statu monachor., n. 8; Navarr. in c. *Non dicatis*, 12, q. 1, n. 44, et sequent.; Fagnan. cit. cap. *Joannes* 19, De testamentis, n. 20, et alii.

(90. Et hæc clarius et expressius habentur in cit. decret. Clement. VIII, pro reformat. regular. incip. *Nullus omnino*, ubi § 3, sic præcise præcipitur: « Quo Tridentini concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, elemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro missis, tam in propria ecclesia, quam ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, et causa, et quocunque nomine ac-